FESTUM
PASCHALE

Anno MDCCCXXXI

IN

ACADEMIA TUBINGENSI

PIE CELEBRANDUM

PUBLICO NOMINE INDICIT

FACULTATIS EVANGELICO-THEOLOGICAE
COLLEGIUM

INTERPRETE

D. FERD. CHRIST. BAUR.

Inest commentatio

De Ebionitarum origine et doctrina, ab Essenis repetenda.

TUBINGAE
TYPIS HOPFERI DE L'ORME.





De Ebionitis, antiquissima christiani nominis secta, eo fere tempore nata, quo christiana ecclesia, quae ad id usque tempus, ut Hegesippus ait (apud Eusebium H. E. IV. 22), intemeratæ instar virginis erat, humanarum opinionum vanitate primum coepit corrumpi, pauca admodum, eademque dubia satis et discrepantia veteres nobis tradiderunt, unde factum est, ut de eorum origine, doctrinæque ratione certior nondum constet sententia, plurimorum, penes quos harum rerum arbitrium est, unanimi consensu probata. Quod quomodo dicatur, et quonam maxime in momento vertatur hujus rei quæstio, facile apparet eorum, qui novissimo tempore de Ebionitis scripserunt, curas breviter perlustrantibus. Quum enim vulgo Ebionitæ in eo tantum a christianæ doctrinæ veritate aberrasse crederentur, quod Mosaicam legem et instituta ad eam pertinentia majori, quam Christianos decebat, religione observarent, et de divina Christi natura parum magnifice sentirent, quippe qui ex Judæis orti, judaicum ingenium ne tum quidem exuere possent, quum Christo fidem habere coepissent, Neander ea, qua esse solet in hoc literarum genere, solertia admonuit [1]), Ebionitarum nomine appellatos

1) Genet. Entwicklung der vornehmsten gnostischen Systeme. Berl.

non omnes ad unum idemque hominum genus referendos esse, fuisse inter eos haud paucos, qui philosophicas Gnosticorum de rebus divinis sententias, a quibus alienissimi fuisse putabantur Ebionitæ, animo concepissent. Qua in re Neander Homiliarum inprimis, quae Clementis Romani nomine vulgatæ sunt, auctoritate usus est. Ut enim liber hic, inter veteris ævi monumenta haud ultimo ponendus loco, multa habet admodum singularia, apud alios scriptores fere nullos obvia, ita pleraque, quae de Christi munere et dignitate, de arcta inter judaicam et christianam religionem intercedente necessitudine, de vera pietate vitæque Deo probandæ ratione, aliisque, quæ ejusdem generis sunt, docentur, tam similia iis sunt, quæ Epiphanius de Ebionitis memoriæ prodidit, ut hæc ipsa, neglecta a plurimis, nondumque satis adhibita ad illustrandas Ebionitarum res, fide eo digniora esse, facile appareat. Eodem fere tempore, quo Neander hanc ingressus est viam, Gieselerus singulari de Ebionitis et Nazaræis edita commentatione [2]) obscuræ sectarum harum memoriæ novam lucem affundere conatus est. Quo majoris autem facienda sunt, quæ vir hic, de christianæ ecclesiæ historia optime meritus, de Nazaræorum et Ebionitarum diversitate, et communi utrorumque

---

1818. S. 361 f. Beilage über die pseudoclementinischen Homilien, ein Beitrag zur Geschichte der Ebioniten.

2) Ueber die Nazaräer und Ebioniten. Archiv für alte und neue Kirchengesch. herausg. von Stäudlin u. Tzschirner. Bd. IV. 2s St. S. 279 f. Leipz. 1819.

ex primis christianæ rei initiis priscisque Judæorum opinionibus repetenda origine disputavit, eo magis dolendum est, quæ de Ebionitis apud Epiphanium tradita legimus, quamquam non prorsus omissa, tamen non ita æstimata, et cum reliquis ad hanc rem pertinentibus connexa esse, ut singula quæque unam et continuam exhiberent totius rei imaginem. Qui duumvirorum horum celeberrimorum deinceps secuti sunt vestigia, nec ipsi summam rei ita absolverunt, ut eorum omnium, quæ hac in re spectanda sunt, justam æquamque rationem haberent. Langius [3]) quidem nonnisi in vetere vulgarique substitit opinione, Ebionitas Christum merum hominem habuisse, neglectis iis omnibus, quæ ad hanc opinionem rectius informandam allata jam ab aliis erant. Ex altera parte Crednerus [4]) Ebionitarum, quorum memoriam Epiphanius servavit, dogmata et præcepta tum ex Epiphanio, tum ex Clementinis maxime Homiliis, ad eosdem illos referendis, accuratius exposuit, expositaque cum Essaeorum institutis eo quoque consilio breviter comparavit, ut arctiori quodam vinculo conjunctos fuisse utrosque, fidem faceret. Denique, qui novissime eandem hanc quæstionem attigit, Schneckenburgerus [5]), et ipse Neandri

3) Beyträge zur ältesten Kirchengeschichte, Erstes Bändchen. Die Ebioniten und Nicolaiten der apostolischen Zeit. Leipz. 1828.

4) Ueber Essäer und Ebioniten und einen theilweisen Zusammenhang derselben. Zeitschrift für wissensch. Theol. herausg. von Winer. 2s Heft. Sulzb. 1827. S. 211 f. 3s H. 1829. S. 279 f.

5) Ueber einen häufig übersehenen Punkt in der Lehre der Ebioni-

sententiam amplexus nonnulla proposuit, quæ aliquantum momenti habere viderentur.

Quæ omnia hactenus disputata quum compararem, animoque perpenderem, duo potissimum haud indigna mihi visa sunt accuratiori inquisitione, unum, quæ fuerit Ebionitarum doctrinæ ratio et natura, si, quæ a diversis scriptoribus tradita sunt, ita velis conciliare, ut uni eidemque sectæ possint tribui, alterum, quid judicandum sit de origine Ebionitarum ab Essæis repetenda? Si quid certius et distinctius de uno alterove investigari possit, quantulumcunque sit, ad christianam antiquitatem, tanta dissidentium sectarum varietate insignem, rectius cognoscendam lucis aliquantum afferet. Itaque, quæ jam alii exposuerunt, breviter percurrens, quæ mihi difficili hac in re inprimis tenenda videntur, explicabo.

Ut ab eo ordiar necessitudine, quæ inter Ebionitas et Nazaræos fuit, duo maxime sunt, quæ tum Ebionitas Nazaræosque ab ecclesia catholica, qualis seculo II. esse coepit, tum ipsos Ebionitas ab Nazaræis disjungebant. Utrique enim de Mosaicæ legis auctoritate ampliorem, de Christi dignitate tenuiorem, quam quæ catholicæ ecclesiæ magistris probari posset, habebant opinionem, inter utrosque autem, Ebionitas et Nazaræos, hoc ipsum maxime interfuit, quod illi Mosaicæ legis præcepta omnibus omnium gentium hominibus, Christo fidem habentibus, hi vero nonnisi iis, qui judaici generis es-

ten von der Person Christi. Tüb. Zeitschr. für Theol. 1830. 1tes Heft. S. 114 f.

sent, servanda esse statuerent, et quantum ad Christi naturam dignitatemque attinet, illi Christum divinitus ex virgine natum, hi humano semine procreatum merumque hominem profiterentur. Denique utrique Messiam, ex coelo reducem, collectis ex toto orbe et in Palæstinam reversis Israelitis, omnibusque gentibus huic uni populo subjectis, auream ætatem, novumque rerum ordinem, divitiarum deliciarumque omnium abundantia summoque sacrorum Mosaicorum splendore florentem instauraturum, et Hierosolymis, demissa coelitus urbe, mille per annos regnaturum esse, sperabant. Utrum hac in re discriminis aliquid inter eos fuerit, an prorsus consenserint, incertum, in iis autem, quæ antea diximus, in diversas partes eos abiisse, cum satis constet [6]), utrum Nazaræi Ebionitis, an Ebionitæ Nazaræis priores fuerint, quærendum est. Equidem priores fuisse Nazaræos adeo pro certo habeo, ut in dubium vocari id posse vix credam. Primis enim christianæ rei initiis omnes christianos, quippe qui Jesu Nazareno fidem haberent, a Judæis Nazaræos vocatos esse, ipsum testatur N. T. Ebionitarum nomini, cum in N. T. non reperiatur, eadem antiquitas tribui non potest. Si vero sumas, Christianos jam inde ab initio non tantum Nazaræos, sed etiam Ebionitas vocatos esse, ea utique nominum horum diversitas, quæ ad duas illas de Christi dignitate opiniones, quarum diversitate distinguendi sunt a Nazaræis Ebionitæ, spectat, jam primis

6) Conferas de his, quae supra dicta sunt, Gieseleri Comment. p. 282 seq.

temporibus fuisse credenda non est. Quis enim persuadere sibi possit, jam in ipsis christianae rei incunabulis inter ipsos Christianos fuisse aliquos, qui Jesum quidem pro Christo haberent, divinitus autem eum natum esse negarent? Ipsa, quæ inter Ebionitas et Nazaræos intercessit, doctrinæ diversitas satis mihi ostendere videtur, non ex una eademque origine exorsos esse Ebionitas et Nazaræos. Nazaræis, qui Christum spiritu sancto ex virgine progenitum existimabant, eadem prorsus de Christo sententia fuit, quam antiquissimam fuisse conscripta a Matthæo et Luca evangelia satis comprobant. Eorum autem opinio, qui Jesum quidem pro Christo, nihilominus autem pro mero homine habendum esse statuebant, ex philosophica quadam sentiendi ratione mihi exorta esse videtur, quæ a vulgari Judæorum ingenio aliena fuit [7]). Judæi enim ex eo quidem hominum genere, quod ex ipsis N. T. libris cognoscimus, aut omnino negabant, Jesum esse Christum, aut eum non sine singulari spiritus sancti auxilio natum esse credebant. Ita mihi ex rei natura judicandum esse videtur, si Ebionitarum et Nazaræorum de Christo sententias comparamus: neque aliud suadere potest alterum illud de Mosaicæ legis auctoritate. Jam enim primos illos æquales Apostolis ecclesiæ Hierosolymitanæ christianos eo flagrasse odio, quo incen-

---

7) Cerinthus, quem ejusdem fuisse sententiae, veteres tradunt, ut Irenaeus ait Contra haer. l. 26., Jesum subjecit non ex virgine natum, *impossibile enim hoc visum est.*

incensi Ebionitæ Paulum Apostolum apostatam legis dicebant (Iren. I, 26.), eumque prorsus repudiabant, equidem credere nequeo, neque, qui vulgo hac in causa adhiberi solet, locus Act. XXI, 20. ad fidem hujus rei faciendam accommodatus mihi esse videtur [8]). Ebionitas post Nazaræos demum exortos esse, ipsa rei natura docet, sed accedit Epiphanii testimonium (Haer. XXX, 2.), qui Nazaræos ab iis Christianis, qui ingruente fatali Hierosolymorum oppugnatione, memores præcepti a Jesu dati, Pellam confugerant, originem duxisse, Ebionitarum autem auctorem, quem vulgo ferunt, Ebionem eo demum tempore, quo Christiani omnes in Peræa atque in urbe Pella potissimum degebant, extitisse narrat. Quamquam Ebionem, a quo orti sint Ebionitæ, aliquando fuisse, vanissima fabula sit [9]); tamen, si quæras, unde nata sit, ea tantum ex causa Ebionitis, neque vero Nazaræis hæresiarcha datus esse potest, quod hi quidem non perinde ac illi ab antiquissima veræ doctrinæ via, immixto postea errore seducti, in perversa abiisse putabantur. Fatendum quidem est, auctores minime spernendos, Origenem et Eusebium, Ebionitarum nomine ita usos esse, ut omnes omnino Christianos, judæo genere ortos et Judæorum more viventes, hac voce comprehenderent, et duplex Ebionitarum genus distinguerent, quorum

8) Videas Comment. de orat. Steph. Act. VII., qua festum Christi natal. anno 1829. indiximus, p. 35 seq., ubi quid loco Act. XXI, 20. suspectum videri debeat, exposuimus.

9) Cfr. Giesel. l. l. p. 298 sq.

alteri Jesum a reliquis hominibus non diversum, alteri divinitus ex virgine natum fuisse, crediderint. Itaque iidem illi Nazaræi, quos ex Epiphanio et Hieronymo novimus, ab Origine et Eusebio et ipsi pro Ebionitis habiti sunt. At facile fieri potuerat, ut, quum nova Ebionitarum secta oriretur, auditum tum primum eorum nomen, Nazaræorum, quod hactenus unice forsan in usu fuit, nomen aliquantisper reprimeret, eoque magis, quos modo nominavimus, scriptores, induci poterant, ut veteres quoque Nazaræos Ebionitarum nomine complecterentur, cum nomen hoc non ab hæresiarcha Ebione repeterent, sed ad tenues vilesque judaici generis Christianorum sententias referrent [10]. Nam et Nazaræi de Christi dignitate, legisque Mosaicæ auctoritate ita sentiebant, ut ab ecclesiastica doctrina, quæ Origenis et Eusebii ætate obtinebat, satis magno discrimine abessent, suoque jure et ipsi Ebionitæ, eo, quem diximus verbi sensu, appellari posse viderentur. Postea demum, quum Epiphanius et Hieronymus, quid inter Ebionitas et Nazaræos interesset, accuratius cognoscerent, nomenque Ebionitarum a magna Christianorum judaici generis parte respui viderent, factum est, ut vetus Nazaræorum nomen iis, qui priscis Nazaræis simillimi essent, vindicaretur.

10) Ab Origene Contra Cels. II, 1. *Ἐβιωναῖοι* dicuntur *ἐπώνυμοι τῆς κατὰ τὴν ἐκδοχὴν πτωχείας τοῦ νόμου γεγενημένοι* i. e. nomen habent a tenuitate, quae legi secundum ipsorum interpretationem est. Eusebio auctore (H. E. III. 27) *Ἐβιωναίους οἰκείως ἐπεφήμιζον οἱ πρῶτοι πτωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ δογματίζοντας καὶ δοξάζοντας.*

Teneamus igitur, si, quæ hactenus disputata sunt, veri aliquid habent, priores Ebionitis fuisse Nazaræos, priusquam autem originem Ebionitarum, quibusque ex causis sejuncti sint a Nazaræis Ebionitæ, accuratius inquiramus, Epiphanii Ebionitæ nos advertunt. Cum enim reliqui scriptores de Ebionitis ea modo tradant, quæ supra memorata sunt, Epiphanius de suis Ebionitis tam multa et singularia retulit, ut facile dubitaveris, num hi quoque Ebionitæ pro iisdem illis habendi sint. Ut alia omittamus, quæ alio loco spectanda sunt, de Christi natura maxima fuisse videtur opinionum diversitas. De Ebionitis enim, ad quos Epiphanii Hæresis XXX pertinet, c. 3. hæc legimus: Τινὲς γὰρ ἐξ αὐτῶν καὶ Ἀδὰμ τὸν Χριστὸν εἶναι λέγουσι, τὸν πρῶτον πλασθέντα τε καὶ ἐμφυσηθέντα ἀπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐπιπνοίας. Ἄλλοι δὲ ἐν αὐτοῖς λέγουσιν ἄνωθεν μὲν ὄντα, πρὸ πάντων δὲ κτισθέντα πνεῦμα ὄντα, καὶ ὑπὲρ ἀγγέλους ὄντα, πάντων τε κυριεύοντα, καὶ Χριστὸν λέγεσθαι, τὸν ἐκεῖσε δὲ αἰῶνα κεκληρῶσθαι, ἔρχεσθαι δὲ ἐνταῦθα, ὅτε βούλεται, ὡς καὶ ἐν τῷ Ἀδὰμ ἦλθε, καὶ τοῖς Πατριάρχαις ἐφαίνετο ἐνδυόμενος τὸ σῶμα. Πρὸς Ἀβραάμ τε ἐλθὼν καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ὁ αὐτὸς ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἦλθε, καὶ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Ἀδὰμ ἐνεδύσατο, καὶ ὤφθη ἀνθρώποις, καὶ ἐσταυρώθη καὶ ἀνέστη καὶ ἀνῆλθεν. Πάλιν δὲ, ὅτε βούλονται, λέγουσιν, οὐχὶ, ἀλλὰ εἰς αὐτὸν ἦλθε τὸ πνεῦμα, ὅπερ ἐστὶν ὁ Χριστὸς καὶ ἐνεδύσατο αὐτὸν τὸν Ἰησοῦν καλούμενον· καὶ πολλὴ παρ' αὐτοῖς σκότωσις, ἄλλοτε ἄλλως καὶ ἄλλως αὐτὸν ὑποτιθεμένοις. Quamquam igitur suam de Christo sententiam non eodem omnes modo sibi informarent, in eo tamen con-

sentiebant, Christum divinitus descendisse. Adamum eum fuisse, eundemque Patriarcharum temporibus humano corpore indutum apparuisse, Clementinæ quoque Homiliæ asserunt, simulque ex iis, quo nixa sit fundamento hæc sententia, luculentius apparet [11]. Cum enim ea divinæ naturæ concepta esset notio, ut Deo summo nihil simile aut secundum cogitari posse statuerent, id maxime tenebant, Christum non Deum, sed Dei tantum filium esse, Christumque semetipsum non Deum, sed Dei filium dixisse. Homil. XVI, 14. 15. A Deo progenitum non ipsum Deum esse, in sequentibus uberius exponit Petrus Apostolus, quem cum Simone Mago disserentem exhibent Clementinæ hae Homiliæ. Quum vero diversus a summo Deo alter Deus esse possit nullus, voluit tamen Deus summus ex semet ipso prodire, suamque naturam cum aliis communicare. Nam, ut Petrus ait Hom. XVI, 12.: εἷς ἐστὶν ὁ τῇ αὐτοῦ σοφίᾳ εἰπών. Ποιήσωμεν ἄνθρωπον, ἣ δὲ σοφία ὥσπερ ἰδίῳ πνεύματι αὐτὸς ἀεὶ συνέχαιρεν. Ἥνωται μὲν ὡς ψυχὴ τῷ θεῷ· ἐκτείνεται δὲ ἀπ' αὐτοῦ, ὡς χεὶρ δημιουργοῦσα τὸ πᾶν, διὰ τοῦτο δὲ καὶ εἷς — ἄνθρωπος ἐγένετο. Ita formatus a Deo, hominis amantissimo (διὰ τὴν τοῦ πεποιηκότος θεοῦ φιλανθρωπίαν γέγονεν ἄνθρωπος Hom. XVI, 19.), Adamus

11) Homilias has, quibus Ebionitae ipsi utebantur (Epiph. XXX, 15), cum eorum doctrina arctissime connexas esse, manifestum est. Romanam nihilominus originem suspicantes uti possunt Epiphanii (c. 18.) testimonio, quod ipse Ebion ἐν τῇ Ἀσίᾳ εἶχε τὸ κήρυγμα καὶ Ῥώμῃ.

primus homo verissimam refert Dei imaginem, Deique spiritu ita imbutus est, ut alios omnes superet. *Θεοῦ τοῦ τὰ πάντα πεποιηκότος, τὸ μέγα καὶ ἅγιον τῆς προγνώσεως αὐτοῦ πνεῦμα, εἰ μὴ τῷ ὑπο χειρῶν αὐτοῦ κυοφορηθέντι ἀνθρώπῳ δώῃ τις ἐσχηκέναι, πῶς ἔτι ἑτέρῳ τῷ ἐκ μυσαρᾶς σταγόνος γεννηθέντι ὁ ἀπονέμων, οὐ τὰ μέγιστα ἁμαρτάνει;* Hom. III, 17. Sanctus autem hic datus homini a Deo spiritus, spiritus Christi est. Hom. III, 20. Ita Christus in Adamo fuit. Cum vero, quæ ex Dei manu provenerunt pura atque integra, syzygiarum lege, qua contraria contrariis, mascula femineis, meliora pejoribus, juncta sunt, ipsoque cum Adamo multo inferior copulata est conjux Eva, mox deteriora facta sint omnia, eundem illum spiritum sanctum qui Adamo inerat, iterum atque iterum humana forma indutum apparere inter homines oportebat, ne deesset hominibus verus propheta, omnis veritatis fons atque auctor. Τὰ *μέγιστα εὐσεβῆ; ἐὰν ἑτέρῳ μὲν μὴ δώῃ ἔχειν (τὸ ἅγιον Χριστοῦ πνευμα), ἐκείνον δὲ μόνον ἔχειν λέγοι, ὃς ἀπαρχῆς αἰῶνος ἅμα τοῖς ὀνόμασιν μορφὰς ἀλάττων, τὸν αἰῶνα τρέχει, μεχρὶς ὅτε ἰδίων χρόνων τυχών, διὰ τοὺς καμάτους, θεοῦ ἐλέει χρισθεὶς εἰς ἀεὶ ἕξει τὴν ἀνάπαυσιν.* Hom. III, 20. Itaque Christus, verus propheta, non in Adamo solum apparuit, sed etiam in sequentium Patriarcharum serie, in Enocho, Noa, Abrahamo, Isaaco, Jacobo. Hom. XVIII, 13. Quibus sanctissimis primi ævi viris si addas hac in causa minime prætereundum Mosen (Hom. XVII, 4.), quem verissimum prophetam fuisse, nullus Judæorum dubitabat, habes jam septem illa mundi columina, viros illos, qui justissimo Deo

unice sustinuerunt probari. Hom. XVIII, 14 [12]). Moses divinam legem, jam Adamo cognitam, in memoriam hominum revocavit, revocatamque non scriptis, sed ore, posteris tradi voluit, cum vero mortuo Mose nihilominus literis consignaretur, scriptæ legi, ut fieri solet in hoc rerum ordine, pessima quæque et falsissima immixta sunt, adeo, ut quæcunque volueris, scripturarum testimonio probari posse videantur. Hom. II, 38. III, 5. sq. Ita obscurata veri rectique cognitione, succurrere fas erat Deum hominum miseriæ. *Διὰ τοῦτο αὐτὸς τῆς καθέδρας ἐγερθεὶς, ὡς πατὴρ ὑπὲρ τέκνων, τὰ ἀπ' αἰῶνος ἐν κρυπτῷ ἀξίοις παραδιδόμενα κηρύσσων μέχρις αὐτῶν ἐθνῶν τὸν ἔλεον ἐκτείνων ἰδίου αἵματος ἠμέλει.* III, 19. Cfr. X, 4. Continua igitur prophetarum series ab Adamo ad Christum usque hominum genus ita per-

12) Cum nomina modo mutaret percurrens hunc rerum ordinem ab initio Christus eodem, quo in Adamo, in sequentibus quoque Patriarchis modo apparuisse credendus est. Epiphanius autem non in ipsis Patriarchis, sed tantummodo Patriarchis eum apparuisse ait (*τοῖς Πατριάρχαις ἐφαίνετο ἐνδυόμενος τὸ σῶμα, πρός Ἀβραάμ τε ἐλθὼν καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ*), forma, ut videtur, ad tempus sumta, non vere humana. Epiphanii Ebionitae, ut sequentia etiam ostendent, receptis a maxima Gnosticorum parte opinionibus propiores erant, quam Homiliarum auctor, qui vaga Gnosticorum phantasmata aspernatus, viva tantum veri prophetae institutione divinum numen revelari statuit. Hom. XVII, 13. sq. Opponitur *τῷ ὑπὸ ἐπτασίας ἀκούειν*, quod Simon Magus extollit, a Petro *τὸ ἀκούειν παρ' αὐτῆς ἐνεργείας* (*τὰ ἐναργῶς ὑπὸ τοῦ προφήτου λεγόμενα*).

meavit, ut unus idemque ille verus propheta identidem inter homines appareret, pugnantemque cum hominum ignorantia veritatis lucem majori subinde hominum multitudini patefaceret. Ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ προφῆται ἑπομένως, ὡς τοῦ μέλλοντος αἰῶνος ὄντες υἱοὶ, αἰωνίων τὴν γνῶσιν ἔχοντες ὑπέρχονται. Hom. II, 15.

Quæ omnia satis docent, quid sibi voluerint Epiphanii Ebionitæ, quum Christum Adamum a Deo formatum, Deique spiritu imbutum esse, eundemque superiorem rerum ordinem sortitum, quotiescunque ei visum fuerit, in hunc inferiorem descendisse, crederent. At iidem illi negare non poterant, majus et divinius aliquid in Christo fuisse, quam ii Ebionitæ statuisse videntur, qui Christum pro mero homine habuisse dicuntur. Sanctissimus enim Dei spiritus, primo homini a Deo infusus (Θεοῦ τοῦ τὰ πεποιηκότος, τὸ μέγα καὶ ἅγιον τῆς προγνώσεως αὐτοῦ πνεῦμα) in Christo erat. Nihilominus tamen hi quoque Ebionitæ, quorum Christus perfectissimam Deoque simillimam Adami naturam referebat, a vulgari illa Ebionitarum sententia non abhorrebant. Quanquam enim, ut Epiphanius ait, de Christo alia atque alia dicerent, in hac tamen maxime fuerunt sententia, Christum solito hominum more genitum esse. Ἐκ παρατριβῆς καὶ σπέρματος ἀνδρὸς, τουτέστι τοῦ Ἰωσὴφ, τὸν Χριστὸν γεγεννῆσθαι ἔλεγεν (ὁ Ἐβίων) Epiph. Hær. XXX, 2. Cfr. 3. 14.: Βούλονται τὸν μὲν Ἰησοῦν ὄντως ἄνθρωπον εἶναι — καὶ εἶναι αὐτὸν τὸν Χριστὸν ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς γεγεννημένον [13]).

13) Hinc Ebionitae omissa, quae apud Matthaeum est, genealogia, initium evangelii verbis fecerunt: ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου,

C. 34.: Ἐβίων λέγων ἐκ παρατριβῆς ψιλὸν ἄνθρωπον αὐτὸν γεγεννῆσθαι. Clementinæ Homiliæ, quamvis hac de re nihil certius habeant, idem tamen de Jesu, humanis parentibus nato, statuisse videntur. Si enim, ut bene observavit Crednerus [14]) Christum præter naturam natum esse dixissent, eodem modo etiam reliqui omnes, in quibus idem ille Dei Christique spiritus apparuit (Moses utique, Jesu proximus) nati esse dicendi fuissent, quod vulgari quidem Judæorum opinioni parum convenisset. Præterea vero mihi quoque [15]) ὁ ὑπὸ χειρῶν θεοῦ κυοφορηθεὶς ἄνθρωπος, duobus locis supra allatis oppositus ἑτέρῳ τινὶ ἐκ μυσαρᾶς σταγόνος γεγεννημένῳ ostendere videtur, Homilias has Jesum a communi conditione, qua reliqui homines nascuntur, non exemisse. Cum enim singularis naturæ præstantia, qua primus homo ceteros omnes superasse credendus sit, in eo ponatur, quod ex ipsius Dei manibus in lucem editus sit, alii omnes, eo inferiores, sordido semine, i. e. humanis parentibus, nasci dicuntur, neque tota sibi constaret auctoris sen-

βασιλέως τῆς Ἰουδαίας ἐπὶ ἀρχιερέως Καΐφα, ἦλθέ τις Ἰωάννης ὀνόματι βαπτίζων, βάπτισμα μετανοίας ἐν τῷ ποταμῷ Ἰορδάνῃ. Cerinthus et Carpocrates, ut Epiphanius addidit, ex eodem Matthaei evangelio, ejus initio Christique genealogia idem illud probare voluerunt: ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας εἶναι χριστόν. Ep. l. l. c. 14.

14) L. l. p. 253.

15) Ita intelligendos esse locos supra ex Homiliis allatos, neque contrarium, quem Neander p. 409. iis inesse voluit, sensum exprimere, bene monuit Crednerus l. l.

sententia, si quod uni Adamo contigit, alteri post eum contigisset. Nihil omnino Homiliis his inest, unde colligas, auctorem earum origini Jesu, a solito naturæ ordine alienæ, multum tribuisse, cum tota potius, quam hic reperimus, de rebus divinis sentiendi ratio, ad miracula, leges naturæ tollentia, non admodum prona sit. Ceterum, quod Epiphanius iterum atque iterum monuit, Ebionitas modo hæc, modo illa, de Christo tradidisse, non negligendum est. Ἐπεὶ γὰρ βούλονται, Epiphanius ait c. 14., τὸν μὲν Ἰησοῦν ὄντως ἄνθρωπον εἶναι, Χριστὸν ἐν αὐτῷ γεγενῆσθαι τὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς καταβεβηκότα, καθάπερ ἤδη καὶ παρ' ἄλλαις αἱρέσεσιν εὑρίσκομεν, συναφθέντα αὐτῷ, καὶ εἶναι αὐτὸν τὸν Χριστὸν. ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς γεγεννημένον. Πάλιν δὲ ἀρνοῦνται, εἶναι, αὐτὸν ἄνθρωπον. Cfr. c. 34. Διαφόρως ἕκαστος αὐτῶν περὶ Χριστοῦ ὑποβάλλει· ποτὲ μὲν ὁ αὐτὸς Ἐβίων λέγων ἐκ παρατριβῆς ψιλὸν ἄνθρωπον αὐτὸν γεγενῆσθαι, ἄλλοτε δὲ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Ἐβιωναῖοι ἄνω δύναμιν ἐκ θεοῦ κεκτῆσθαι υἱὸν, καὶ τοῦτον κατὰ καιρὸν τὸν Ἀδὰμ ἐνδύεσθαί τε καὶ ἐκδύεσθαι [16]).

16) Erant inter Ebionitas, ut ex Epiphanii verbis supra allatis videmus, qui Christum idem illud, quod Adamo fuit, corpus induisse crederent. Possis inde colligere, hos quidem originem Christo homini tribuisse extraordinariam, corpusque mirabiliter formatum. Sed Epiphanii fides et cura in scribendo non ea est, ut verba haec, non satis perspicua, urgenda sint. Quomodo cum Jesu homine Christum divinitus missum conjunxerint Ebionitae, Epiphanius ipse non satis intellexisse videtur. Jesum naturaliter natum docuisse Ebionitas, tam multa asseverant testimonia, ut, hoc maxime tenendum esse, pateat.

Pro mero quidem homine Ebionitæ Jesum habebant, quomodo autem, quem a Jesu distinguere solebant, Christus, sive sanctus ille, qui in Adamo primum fuit, spiritus, cum Jesu homine conjunctus sit, alii aliter explicuisse videntur. Alii enim spiritum illum in hominem Jesum jam primis nascendi initiis, alii tum demum, quum ab Johanne baptizaretur, descendisse existimabant. Prior illa sententia Homiliis tribuenda est. In his enim nulla baptismi, quem Jesus ad Jordanem subiit, facta est mentio, sed spiritus ille cum Jesu homine intimo naturæ vinculo coaluisse dicitur. Hoc mihi innuere videtur locus Homil. III. 12: *ὁ διδάσκαλος ὑμῶν καὶ προφήτης ὤν, ἐμφύτῳ καὶ ἀεννάῳ πνεύματι πάντα πάντοτε ἠπίστατο.* Cum vero Homiliæ nostræ multa habeant singularia, quæ a communi Ebionitarum sentiendi ratione discernenda esse, ipsa rei natura docet, haud scio an altera illa sententia, quam Epiphanio auctore Ebionitæ profitebantur, a majori eorum parte recepta sit. Eadem de Christo Cerinthum statuisse constat, quem, cum et ipse judæo genere ortus esset, ab Ebionitis nostris haud ita procul abfuisse crediderim, quamquam fuerint nonnulla, in quibus cum Ebionitis non omnino consensisse putandus sit.

Sed ut de Christo, ita de Mosaicæ etiam legis auctoritate Ebionitas ab aliorum doctrina discessisse vidimus. Quod alterum hoc attinet, Homiliarum auctorem ab anxia illa, qua Ebionitæ notari solent, Mosaicæ legis observantia abhorruisse, non est, quod miremur. Nuspiam legimus, quicumque ex gentibus ad sacra Christianorum transituri essent, circumciden-

dos esse, et ea tantum conditione, ut singula quæque a Mose, seu potius prætento Mosis nomine præcepta et instituta servarent, sperandæ a Messia salutis participes fieri posse. Nihilominus autem Mosaicæ legi ea tribuitur sanctitas, ut nulla alia præter eam ad salutem via esse possit. Ut, qui in Adamo et Mose fuit, idem ille in Jesu apparuit divinus spiritus, ita inter Mosaicam et Christianam doctrinam intima est necessitudo, neque, qui Mosem sequitur, ulla re inferior est eo, qui Jesum colit, dummodo, qui in alterutro spem salutis ponit, neutrum eorum odio habeat et rejiciat. Summam enim rei ille tetigisse putandus est, qui duos hos pro uno eodemque salutis auctore, veroque propheta habuerit, et prisca cum novis, novaque cum priscis amice conspirare, intellexerit. Homil. VIII, 6.: *Μιᾶς δὲ ἀμφοτέρων (Μωυσέως καὶ Ἰησοῦ) διδασκαλίας οὔσης, τὸν τούτων τινὰ πεπιστευκότα ὁ θεὸς ἀποδέχεται. — Πλὴν ἤ τις καταξιωθείη τοὺς ἀμφοτέρους ἐπιγνῶναι, ὡς μιᾶς διδασκαλίας ὑπ' αὐτῶν κεκηρυγμένης, οὗτος ἀνὴρ ἐν θεῷ πλούσιος κατηρίθμηται, τά τε ἀρχαῖα νέα τῷ χρόνῳ, καὶ τὰ καινὰ παλαιὰ ὄντα νενοηκώς.* Haud dissimili ratione Carpocrates ejusque asseclae, qui Jesum a ceteris hominibus non diversum, et cum Pythagora, Platone, aliisque hujus generis viris uno eodemque loco habendum statuebant, a diversitate ad unitatem, *τὴν μονάδα* et *τὴν μοναδικὴν γνῶσιν* ascendendum et inde omnem salutem sperandam esse jubebant.[17]). Non sine causa igitur Epiphanius Ebionitas non solum cum Cerinthianis, sed etiam cum Carpocratianis compa-

17) Neander Gnost. Syst. p. 355 seq.

ravit. Majori etiam religione, quam ex Clementinis Homiliis suspiceris, Epiphanio auctore Ebionitæ Mosaicæ legis instituta amplexi esse videntur. Epiph. c. 2. 34. Sed compares hac de re, quæ mox monenda sunt.

Duo hæc Ebionitarum doctrinæ primaria capita, quorum alterum ad Christi dignitatem, alterum ad Mosaicæ legis auctoritatem pertinet, Gieselerus [18]) ita invicem se habere suspicatus est, ut alterum ex altero prodiisse putandum sit. Tenaciores enim Mosaicæ legis Christianos, acerrimo in Paulum Apostolum odio incensos, quippe qui abolenda Mosaicæ legis auctoritate veram Christi doctrinam corrupisse ab iis argueretur, eo denique progressos esse, ut ea quoque, quæ Paulus præcipue de divina Christi natura et dignitate exposuisset, rejicerent. At, ut omittamus, sententiam hanc omnino vix probari posse (non enim Paulus unice Apostolus doctrinam de divina Christi natura ita professus est, ut ejus nonnisi auctoritate stare videretur, neque, qui ejus auctoritatem respuerent, opus habuissent, divinam quoque Jesu hominis originem negare), idoneo certe, quo nitatur, fundamento eam carere, ex iis quae jam allata sunt, facile apparet. Cum enim negari non possit, Ebionitas quoque, quamquam suo modo, divinam Christi tribuisse naturam, omnino viam illam Gieselerus inire non potuisset, nisi in iis unice substitisset, unde plenior veriorque totius sectæ notio concipi non potest.

Quo majore igitur discrimine Ebionitas ab Nazaræis se-

18) L. l. p. 321 seq.

junctos fuisse constat, eo magis operæ pretium est, quærere, quibus ex initiis enata sit hæc diversitas. Jam Neander Clementinis Homiliis quædam observavit inessse, ab Essæorum disciplina haud aliena [19]), nuperrime Crednerus Ebionitarum causa Essæorum memoriam repetiit, mihi quoque hac maxime via in originem nexumque sectarum illarum, quæ primo christianæ rei tempore inter judaici nominis Christianos extitere, accuratius inquirendum esse videtur. Ut vero certa quadam via et ratione incedamus, præmonenda sunt quædam de Essæis.

Judæi Jesu Apostolorumque ætate non modo in Pharisæos et Sadducæos divisi erant, sed præter primarias has sectas tertium quoque fuit hominum genus, Essæi, quorum instituta et dogmata Philo et Josephus nobis exposuerunt, consentientibus extraneis etiam scriptoribus, Plinio majore, Solino, Porphyrio. Ex christianis scriptoribus nullus fere de judaicis, quæ tum temporis erant, sectis, aliquid nobis tradidit, præter Epiphanium, qui, cum in opere, quod de hæresibus scripsit, christiana etiam ætate antiquiores hæreses sectasque percurreret, et a primis inde humani generis initiis primarias hæreseum formas breviter persequeretur, judaicas inprimis sectas suo ordine haud prætermisit. Jam ante Christi ætatem in Judæa atque Hierolymis, Epiphanio auctore, septem fuere Judæorum sectæ: Sadducæi, Scribæ s. legis interpretes, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Nasaræi, Osseni, Herodiani. Os-

19) Neander l. l. p. 368. 426.

senos hos eosdem esse, quos alii scriptores Essenos vocant, tum ob nomen ipsum, locorumque, quæ incolebant, situm, tum ob totam, quam sequebantur, sentiendi vivendique rationem, vix dubitaveris. Sed Ossenis Nasaræi quoque et Hemerobaptistæ tam similes erant, ut hi quoque ab aliis scriptoribus communi Essenorum nomine comprehensi esse videantur. Nasareos certe et Ossenos, qui nulla alia re magis a reliquorum Judæorum more abhorrebant, quam damnato sacrificiorum usu, quem legis Mosaicæ patrumque auctoritate sancitum esse negabant, solo nomine diversos fuisse, Nasaræorumque s. Nasiræorum nomen ab ascetico, cui Esseni totos se dabant, vivendi genere accepisse, probabili ratione statui potest [20]. Nasaræi hi Ossenis simillimi, ab iisque non diversi, ab Nazaræis, Ebionitarum sociis, distinguendi sunt, ipse autem Epiphanius, quem more suo his in rebus neque diligentiori cura, neque subtiliori judicio usum esse videmus, utrosque confudit, cum Hær. XXIX, 1. Christianos primo tempore omnes Nazaræos; per breve autem tempus Jessæos appellatos esse dixerit, antequam Christiani Antiochiæ primum nominari coepissent. Quod addidit Epiphanius: ἐκαλοῦντο δὲ Ἰεσσαῖοι, διὰ τὸν Ἰεσσαὶ οἶμαι, ἐπειδήπερ ὁ Δαβὶδ ἐξ Ἰεσσαὶ, ἐκ δὲ τοῦ Δαβὶδ κατὰ διαδοχὴν σπέρματος ἡ Μαρία πληρουμένης τῆς θείας γραφῆς, Ps. 132, 11., vanissimum esse, in promtu est. Jessæos dictos

20) Cfr. Neander Gnost. Syst. p. 385. Epiphan. XXIX, 5. *Ναζιραῖοι* sunt *ἡγιασμένοι. Ὥριστο τοῖς τοιούτοις ἁρμόδιος τῷ ἀξιώματι ἡ πολιτεία.*

esse Christianos, ut memoraret Epiphanius Nazaræorum mentione facta, ea tantum de causa inductus esse potest, quod prisci illi Nasaræi, cum Nazaræis non miscendi, ipsi quoque Esseni sive Essæi nominabantur [21]). Ut vero veteres illi, qui ex Philone, Josepho, aliisque scriptoribus cogniti nobis sunt,

21) Magna est apud Epiphanium nominum sectarumque confusio. Memorantur ab eo Haer. XXIX, 1. sq. 1) Jessaei, qui aut a Jesse, Davidis patre, nomen hoc nacti sunt, aut, quae alia est Epiphanii perinde vana opinio (l. l. c. 4), ab ipso Jesu, *διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὁρμᾶσθαι μαθηταὶ ὄντες αὐτοῦ, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ Κυρίου. Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρὸς καὶ σωτήρ.* De his Jessaeis, primis Christianis, singularem librum scripsisse Philonem, cum ipsis Paschalibus feriis eos invisisset, totamque vitae rationem cognovisset. A Marco, in Aegypto verbum divinum praedicante, Jessaeorum horum originem repetiisse videtur Epiphanius l. l. c. 5. 2) Nazaraei s. Nazoraei, primi Christiani: *πάντες ἄνθρωποι τοὺς Χριστιανοὺς Ναζωραίους ἐκάλουν* c. 6. cfr. c. 1. 3) Nasaraei, Christo priores: *ἦν γὰρ ἡ αἵρεσις τῶν Νασαραιών πρὸ Χριστοῦ, καὶ Χριστὸν οὐκ ᾔδει* l. l. c. 6. 4) Haeretici illi Nazaraei, ad quos Haer. XXIX. pertinet. *Παρέντες τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ οὔτε Ἰεσσαίους ἑαυτοὺς κεκλήκασιν, οὔτε τῶν Ἰουδαίων ἔμειναν ἔχοντες τὸ ὄνομα, οὔτε Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς ἐπωνόμασαν, ἀλλὰ Ναζωραίους δῆθεν ἀπὸ τῆς τοῦ τόπου τοῦ Ναζαρὲτ ἐπωνυμίας· τὰ πάντα δέ εἰσιν Ἰουδαῖοι καὶ οὐδὲν ἕτερον.* l. l. c. 7. (Habitabant tamen, ut Epiphanius ipse addidit c. 7., in iisdem locis, in quae Christianos, relictis Hierosolymis, se contulisse, constat). Hos omnes Epiphanius ita miscuit, ut, nisi sumas, quae supra proposuimus, quid pro vero habendum sit, equidem non videam.

Esseni apud Epiphanium Ossenorum, Nasaræorum, et, si velis, Hemerobaptistarum quoque nominibus redeunt, ita Epiphanius Essenos, proprio hoc nomine vocatos, unam ex quatuor Samaritanorum sectis fuisse, tradit. Quatuor enim Samaritanorum sectæ erant Esseni, Gortheni, Sebuæi, Dosithei. Inter has ipsas sectas exiguum fuit discrimen, quæ autem omnibus atque singulis dogmata et præcepta erant, a communi Judæorum disciplina admodum aliena, ipsos etiam Samaritanos Philonis Josephique Essenos propius attigisse, satis ostendunt.

Quibus præmissis quæsituri jam de origine Ebionitarum, causisque discriminis inter Ebionitas et Nazaræos orti, quam supra jam proposuimus, opinionem, Ebionitas cum Essenis vinculo quodam connexos fuisse, argumentis, quæ afferenda nobis esse videntur, firmare conabimur.

Ac primum quidem jam ex loci temporisque ratione, quo Ebionitas prodiisse, veteres scriptores tradunt, opinioni huic aliqua accedere videtur veri species. Christianos antiquissimæ, quæ in Judæa et Hierosolymis fuit, ecclesiæ, ubi urbs Romanorum exercitu claudi premique coepit, trans Jordanem in oppidum Pellam aufugisse, novimus. Habitabant tum, ut Epiph. dicit XXIX, 7. non modo in Decapoli, cujus pars urbs Pella fuit, sed etiam in Berœensi civitate et in Basanitide, quæ Cocabe (Gen. 14, 15.) dicebatur. Inde enim, relictis Hierosolymis, Nazaræorum hæreseos initia profecta esse, quum Pellae in Peræa omnes Jesu dicipuli habitarent. Tota autem

hæc

hæc regio trans Jordanem sita, marique mortuo adjacens ineundae cum Essenis conjunctionis opportunitatem facilem præbebat. Nasaræos cum Ossenis, sive Essenis, proxime conjunctos, e Galaatide et Basanitide, ac reliquis ultra Jordanem sitis regionibus, Ossenosque ipsos ex Nabathæa, Ituræa, Moabitide et Areilitide [22]), locisque eodem terræ tractu mari mortuo contiguis oriundos fuisse, Epiphanius ait XVIII, 1. XIX, 2., eodemque auctore Ossenorum reliquiæ, Sampsæis mixtæ, eo adhuc tempore, quo Epiphanius vivebat, trans mare mortuum patrias tenuerunt sedes, ibique cum Ebionitarum secta coaluerant. XX, 3. cfr. XIX, 2. De Ebione, quem auctorem sectæ ferunt, apud Epiphanium hæc legimus XXX, 2.: *γέγονεν ἡ ἀρχὴ τούτου μετὰ τὴν τῶν Ἱεροσολύμων ἅλωσιν. Ἐπειδὴ γὰρ πάντες οἱ εἰς Χριστὸν πεπιστευκότες τὴν Περαίαν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ κατῴκησαν. — γέγονεν ἐκ τούτου πρόφασις τῷ Ἐβίωνι. — Ἔνθεν ἄρχεται τῆς κακῆς αὐτοῦ διδασκαλίας, ὅθεν δῆθεν καὶ οἱ Ναζαρηνοὶ οἱ ἄνομοι.* De veterum quidem Essenorum sedibus Philo et Josephus nihil certi tradiderunt: Plinius H. N. V, 16. eos ab occidente asphaltitae lacus litora fugere dixit, usque qua nocent: eos autem non has solum tenuisse sedes, sed aliis quoque multis in locis orientali regionum illarum inprimis parte habitasse, quæ ex Epiphanio allata sunt, fidem faciunt. Ebionitarum sectam eversis demum Hierosolymis, Christianisque in Peræa habitantibus in lucem prodiisse, quum certum sit, ea, quæ de factionibus partiumque studiis, ab eo inde tempore inter Chri-

22) *Ἀρηϊλίτιδος*, incerta lectio. Cfr. Petav. ad Ep. l. l.

D

stianos illos ortis, narrantur, in re nostra aliquantum momenti habere videntur. Gieselerus Thebuthin quendam, quem Hesesippus apud Eusebium H. E. IV, 22. mortuo Simeone, ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopo, episcopatum ambiisse, et, quum spe sua excidisset, judaicos errores christianæ religioni immiscuisse tradidit, Ebionitarum sectæ auctorem extitisse, suspicatus est. Cum errores hos ex septem judaicis hæresibus sumsisse dicatur [23]), quamquam mirum hoc et incredibile audientibus sit, Gieselerus hoc certe ab historica fide haud ita procul abesse ratus est, Thebuthin, relicta doctrinæ a Christianis receptæ veritate, eo propius ad judaicæ disciplinæ præcepta accessisse. At cum septem illæ judaicæ hæreses, ex quibus novam hæresin miscuisse dicitur Thebuthis, eædem fere sint, quas Epiphanius memoravit, Essæi, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Samaritani, Sadducæi, Pharisæi, quis Essæorum, primarium locum obtinentium, in nova hæresi minimam partem fuisse, existimet? Septem hæreses idonea ratione tum demum nominatæ mihi esse videntur, si nova illa secta non vulgarem maxime Pharisæorum Judaismum, qui Mosaicæ legis præceptis anxie inhærebat, sectabatur. Ceterum in investigandis Ebionitarum originibus Elxæo quoque, quem imperante Trajano, eadem illa aetate, quam maximi hac in re momenti fuisse, multa testantur, prophetam

23) Ἄρχεται ὁ Θέβουθις, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν (τὴν ἐκκλησίαν) ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων, ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, ἐν τῷ λαῷ.

extitisse, Epiphanius narrat Hær. XIX, 1., suas partes dandas esse, crediderim. Elxæus enim tum Ebionitis, tum Nazaræis se adjunxit, quatuorque sectæ, artibus ejus seductæ, eum sibi vindicarunt auctorem, præter Ebionitas et Nazaræos Osseni quoque et illi, de quibus antea diximus, Nasaræi (Epiph. l. c. c. 5.). Proprie autem et verissime Elxæum non Osseni, sed Sampsæi, sive ejus nomine dicti Elcesaitæ, sectæ auctorem habebant, at Sampsæi ipsi, ad Ossenos, sive Essenos, proxime pertinuisse videntur. In Peræa, ut Epiphanius ait Hær. LIII, 1., ultra salsum, sive mortuum mare, in Moabitide, ad torrentem Arnonem, et in ulteriore tractu, in Ituræa et Nabatide, eadem illa regione, in qua aliæ supra memoratæ sectæ sedes suas habuisse dicuntur, habitabant. Eodem libro, quo Sampsæi, et Ossæi, Ebionitæ et Nazaræi utebantur. Conditorem quidem sectæ suæ ac magistrum Elxæum jactabant Sampsæi, ipsi autem, Epiphanio judice, neque Christiani, neque Judæi, neque Gentiles erant. Cum Epiphanius ipse singulares illas sententias, quas de Adamo Christoque animo concepisse vidimus, Ebionitas, ab Elxæo maxime arctaque, quæ inter Elcesaitas et Ebionitas intercessit, necessitudine repetat (Hær. XXX, 3. 27.), Elcesaitæ autem, s. Sampsæi et Osseni, pro unius ejusdemque sectæ hominibus habendi sint, quantum tribuendum sit Essenis in primis Ebionitarum initiis, facile inde æstimes. Sed jungenda his sunt, quæ in sequentibus afferemus.

De Ebionitarum nomine multa a multis dicta sunt: vera ejus interpretatio a quæstione, in qua versamur explicanda,

haud aliena mihi esse videtur. Quam inanes sint, quæ apud veteres scriptores reperiuntur nominis hujus interpretationes, aut ab hæresiarcha Ebione, aut a dogmatum præceptorumque, quæ profitebantur, tenuitate repetitæ, jam alii docuerunt [24]. Sed eam quoque, quæ a Gieselero primum, tum a Langio proposita est, explicationem probare non possumus. Gieselerus enim pauperes a Judæis appellatos esse Ebionitas statuit, quoniam in abjecto vilique Messia spem omnem suam reponerent, Langius a propria veraque paupertate nomen desumtum esse maluit, in qua primi illi Jesu discipuli eo majore Judæorum cum offensione versari videbantur, cum eundem illum, a quo lauta et splendida omnia sperare sobant Judæi, sibi venisse jam crederent jactarentque Messiam. Quo autem jure sumendum est, ab Judæis, christianæ rei inimicis, in contumeliam Christianorum inventum esse hoc nomen? Quod si fuisset, haud scio an atrociori nomine, quam solo paupertatis crimine, eos notasset odium Judæorum. Paupertatis ratio ea est, ut eam sua cum laude præferre, petitoque ab ea nomine semet ipsos ab aliis distinguere possent primi illi Christiani, factumque id ita esse, Epiphanii certe testimonio firmari potest, qui, quamquam ipse ab egestate fidei speique, in Christum merum hominem collocandæ, non sine omine nomen hoc inditum esse maluerit Ebioni hæretico, expressis tamen verbis ait: *αὐτοὶ δὲ δῆθεν σεμνύονται ἑαυτοὺς φάσκοντες πτωχοὺς, διὰ τὸ, φασὶν, ἐν χρόνοις τῶν Ἀπο-*

24) Cfr. Giesel. l. l. p. 301. Lang. l. l. p. 36.

στόλων πωλεῖν τὰ αὐτῶν ὑπάρχοντα, καὶ τιθέναι παρὰ τοὺς πόδας τῶν Ἀποστόλων, καὶ εἰς πτωχείαν καὶ ἀποταξίαν μετεληλυθέναι, καὶ διὰ τοῦτο καλεῖσθαι ὑπὸ πάντων φασὶ πτωχοί. Itaque ea mihi unice vera esse videtur nominis hujus interpretatio, quæ a Neandro primum commendata et Clementinarum Homiliarum auctoritate probata est [25]). Cum enim aut hunc, aut futurum mundum eligendi potestatem unicuique homini datam esse doceant, ii, qui futurum sibi elegerunt, dum in hac terra vivunt, tanquam in alieno versantur, et ne iis quidem, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, suo jure utuntur. Hom. XV, 7. [26]) Quis miretur, egregiam hanc paupertatis, seu sponte susceptæ, seu necessitate impositæ, notionem hominibus illis ita arrisisse, ut hoc maxime nomine appellari vellent! Si vero hanc de hujus futuræque vitæ conditione sentiendi rationem tam familiarem fuisse Ebionitis statuamus, ut in ipsum nomen eorum abiisse putanda sit, altius eam non possumus non repetere, nec difficilis mihi esse videtur transitus ab Ebionitis ad Essenos. Nam celebrata illa, quæ apud Essenos fuit, bonorum omnium communio,

---

25) Gesch. der chr. Rel. und Kirche, I. 2. S. 613.

26) Οἱ τὰ τῆς μελλούσης βασιλείας κρίναντες λαβεῖν, τῶν ἐνταῦθα ὡς ἀλλοτρίου βασιλέως ἴδια ὄντα αὐτοῖς νομίζεσθαι, οὐκ ἔξεστιν, ἢ ὕδατος μόνου, καὶ ἄρτου, καὶ τούτων μετὰ ἱδρώτων ποριζομένων, πρὸς τὸ ζῆν, ἐπειδὴ ἑκόντι ἀποθανεῖν οὐκ ἔξεστιν, ἔτι δὲ καὶ περιβολαίου ἑνὸς, γυμνὸν γὰρ ἑστᾶναι, οὐκ ἐφίεται ἕνεκεν τοῦ παντὸς ὁρῶντος οὐρανοῦ.

non tam ad juvandæ vitæ societatem, quam eo maxime consilio instituta mihi esse videtur, ut abdicata rerum suarum possessione, iisque unice contentus, quibus ad vitam agendam nullus carere potest, unusquisque in hoc mundo nihil habere, sed totus futuro vivere censeretur. Philo: Quod liber sit, quisq. virt. Vol. II. p. 457. Ed. Mang. de Essenis: *Μόνοι ἐξ ἁπάντων σχεδὸν ἀνθρώπων ἀχρήματοι καὶ ἀκτήμονες γεγονότες, ἐπιτηδεύσει τὸ πλεῖον, ἢ ἐνδείᾳ εὐτυχίας πλουσιώτατοι νομίζονται.* Cfr. Jos. De B. J. II. 8, 3. In futuræ enim vitæ cogitationem ita erecti erant Essenorum animi, ut quæ Homiliarum nostrarum Ebionitæ de hujus futuræque vitæ ratione statuerint, ex ea verissime sentiendi ratione profecta videri possint, quam Esseni toto vitæ genere præ se ferebant [27]). Itaque non cum Neandro (l. l. p. 614.) dubii hæremus, utrum Ebionitarum nomine omnes omnino ecclesiæ Hierosolymitanæ Christiani, an ii modo appellati sint, qui asceticum quoddam inter eos sectabantur vivendi genus, sed nomen hoc iis primum fuisse cen-

27) Philo de vita contempl. Vol. II. p. 473. de Therapeutis ait: *διὰ τὸν τῆς ἀθανάτου καὶ μακαρίας ζωῆς ἵμερον τετελευτηκέναι νομίζοντες ἤδη τὸν θνητὸν βίον ἀπολείπουσι τὰς οὐσίας υἱοῖς ἢ θυγατράσιν, εἴτε καὶ ἄλλοις συγγενέσιν, ἑκουσίῳ γνώμῃ προσκληρονομούμενοι· οἷς δὲ μὴ συγγενεῖς εἰσιν, ἑταίροις καὶ φίλοις. Ἔδει γὰρ τοὺς τὸν βλέποντα πλοῦτον ἐξ ἑτοίμου λαβόντας τὸν τυφλὸν παραχωρῆσαι τοῖς ἔτι τὰς διανοίας τυφλώττουσιν.* Videmus hic voluntariam Ebionitarum paupertatem. Therapeutas Essenis simillimos cur nullo externo vinculo cum iis conjunctos voluerit Neander H. E. l. 1. p. 79., non intelligo.

semus, qui, ex quo tempore Christiani in urbe Pella locisque adjacentibus inter varias illas, de quibus supra diximus, sectas habitare coeperunt, Essenorum dogmata et præcepta cum christiana doctrina miscebant, sive, quod idem est, diversi ab iis, qui simplici fide Christum colebant, et vulgari Nazaræorum nomine appellari solebant, theosophicam quandam rationem inibant. Utrum inter Essenos illos Ebionitarum hoc nomen, aut simile, jam antea in usu fuerit, an tum demum in usum venire coeperit, parum refert: certe quo magis christiana Messiæ persuasione in futuro mundo spem omnem suam reponebant, eo acceptius iis nomen erat, quod nullis eos in hoc rerum ordine retineri vinculis, aperte testabatur [28]).

Ebionitæ Mosaicæ legis præceptis strenue adhæsisse dicuntur. Qua in re quum plerique, quomodo id intelligendum rectiusque definiendum sit, minus curantes, summum quæstionis nostræ momentum verti putent, eo minus omittendum est, quod supra jam breviter monuimus, eos scriptæ legi scriptisque V. T. libris multum quoque derogasse.

---

28) Apostolos primosque Christianos, quum sua omnia communia facerent, Essenorum praecepta secutos esse, equidem non credo, at poterat tamen, quum postea Christiani cum Essenis coaluissent, ab Apostolis sancitum videri, quod jam antea ab Essenis institutum erat. Hinc, ut ex loco Epiph. supra allato videmus, ab Apostolis paupertatem suam repetebant Ebionitae. — Adversarios Ebionitarum nomini externae paupertatis notionem subjecisse, non mirum, ipsi autem Ebionitae suam interpretationem amplexi, *διὰ τοῦτο καλεῖσθαι ὑπὸ πάντων πτωχοί*, non aegre ferebant.

Multa iis inesse hominum fraude corrupta, prophetasque, quorum scripta V. T. continentur, multo inferiores fuisse Mose, vero propheta, Homiliarum auctori persuasum est. Idem de V. T. libris prophetisque judicium ferebant, Epiphanio auctore, Ebionitæ. Memorabilis hac de re extat locus apud Epiph. XXX, 18.: *Ἀβραάμ ὁμολογοῦσι καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, Μωϋσῆν τε καὶ Ἀαρών, Ἰησοῦν τε, τὸν τοῦ Ναυῆ, ἁπλῶς διαδεξάμενον Μωϋσέα, οὐδὲν δὲ ὄντα. Μετὰ τούτους δὲ οὐκέτι ὁμολογοῦσί τινα τῶν προφητῶν, ἀλλὰ καὶ ἀναθεματίζουσι καὶ χλευάζουσι, Δαβίδ τε καὶ τὸν Σολομῶνα, ὁμοίως δὲ τοὺς περὶ Ἡσαΐαν καὶ Ἱερεμίαν καὶ Δανιὴλ, καὶ Ἰεζεκιήλ· Ἠλίαν τε καὶ Ἐλισσαῖον ἀπεθοῦσιν. Οὐ γὰρ συντίθενται βλασφημοῦντες τὰς αὐτῶν προφητείας, ἀλλὰ μόνον τὸ Εὐαγγέλιον δέχονται. — Οὔτε γὰρ δέχονται τὴν Πεντάτευχον Μωϋσέως ὅλην, ἀλλά τινα ῥήματα ἀποβάλλουσιν. — Βλασφημεῖ* (Ebionita) *τὰ πλείω τῆς νομοθεσίας.* Quæ omnia, quo magis abhorrere videmus ab illo pietatis sensu, quo maxima Judæorum pars in sacros V. T. libros affecta esse solebat, eo propius accedere videntur ad Essenorum de rebus divinis sentiendi rationem. Veteres illi Nasaræi, quos solo nomine ab Essenis diversos fuisse, supra diximus, eadem prorsus statuebant. *Πατέρας μὲν ἐδέχετο* (hæc secta), ut Epiphanius refert Hær. XVIII, 1., *τοὺς ἐν τῇ Πεντατεύχῳ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ μεχρὶ Μωϋσέως, τοὺς ἐν ἀριστείᾳ θεοσεβείας διαφανεῖς ὑπάρξαντας, φημὶ δὲ Ἀδάμ, καὶ Σὴθ, καὶ Ἐνὼχ, καὶ Μαθουσάλα, καὶ Νῶε, καὶ Ἀβραάμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, Λευὶν τε καὶ Ἀρὼν, καὶ Ἰησοῦν, τὸν τοῦ Ναυῆ. Αὐτὴν δὲ οὐ παρεδέχετο τὴν πεντάτευχον, ἀλλὰ ὁμολογεῖ*

μὲν

μὲν τὸν Μωϋσέα, καὶ ὅτι ἐδέξατο νομοθεσίαν, ἐπίστευεν, οὐ ταύτην δὲ, φησὶν, ἀλλ' ἑτέραν. Sed ipse quoque Josephus de Essenis nonnulla jam tradidit, eodem spectantia. Tanta enim Mosen legislatorem pietate venerabantur, ut eum secundo post Deum loco haberent. *Σέβας μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν Θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ νομοθέτου, κἂν βλασφημήσῃ τις, κολάζεσθαι θανάτῳ.* L. l. §. 9. Eadem Therapeutarum ratio, *τῶν ἀνατεθεικότων τὸν ἴδιον βίον καὶ ἑαυτοὺς ἐπιστήμῃ καὶ θεωρίᾳ τῶν τῆς φύσεως πραγμάτων, κατὰ τὰς τοῦ προφήτου Μωϋσέως ἱερωτάτας ὑφηγήσεις*, ut apud Philonem legimus l. l. p. 481. Hinc eximia cum laude *οἱ Μωϋσέως γνώριμοι, μεμαθηκότες ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐρᾶν ἀληθείας*, Mosis discipuli, nominantur l. l. De ceteris prophetis nihil hujusmodi traditur. Quamquam a Philone p. 475. non solum *νόμοι*, sed etiam *λόγια θεσπισθέντα διὰ προφητῶν* inter ea memorentur, in quæ Therapeutæ sanctissimæ vitæ studia collocent, haud scio, an alii intelligendi sint prophetæ, quam ii maxime, quorum scripta inter V. T. libros habemus. Certe eodem loco de sacris Therapeutarum libris non ita loquitur Philo, ut nostrorum prophetarum cogitationem nobis injiciat. *Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἀλληγορουμένης ἰδέας ἀπέλιπον· οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον.* Sanctos antiquissimi ævi patriarchas, illos prophetas, quos suo tempore secutus est Moses, malim intelligere. Quo majore honore Esseni et Therapeutæ Mosen habebant, divinum, tantoque nomine unice dignum

prophetam, eo minoris æstimabant sequentium temporum prophetas. Mireris sane ejusmodi de V. T. prophetis judicium, cum hi maxime veram Dei pietatem docuerint, et externum cultum ad internos animi sensus revocaverint. At multa in Psalmis prophetarumque libris mystico horum hominum sensui non conveniebant, et offensioni erant, quæ prophetæ de terreno Messiæ regno, futuroque judaicæ reipublicæ statu vaticinati erant. In Homiliis certe de altera illa s. feminea prophetia, quæ masculæ opposita, et in præsente tota mundo est, III, 23. hæc leguntur: Τὸν παρόντα ἐπίγειον πλοῦτον, ὡς προῖκα, δώσειν ἐπαγγέλλεται, τῷ τάχει τό βραδὺ, τῷ μείζονι τὸ ἧττον ὑπαλλάξαι θέλουσα — συλλαβοῦσα τοὺς προσκαίρους τίκτει βασιλεῖς, τοὺς αἷμα πολὺ χέοντας ἐγείρει πολέμους. — Οἱ ἀπὸ τῆς τούτου (Καΐν) διαδοχῆς προεληλυθότες πρῶτοι μοιχοὶ ἐγένοντο καὶ ψαλτήρια καὶ κιθάραι καὶ χαλκεῖς ὅπλων πολεμικῶν ἐγένοντο· δι' ἃ καὶ ἡ τῶν ἐγγόνων προφητεία μοιχῶν καὶ ψαλτηρίων γέμουσα, λανθανόντως, διὰ τῶν ἡδυπαθειῶν ὡς τοὺς πολέμους ἐγείρει. (Quibuscum conferas sequentia, quæ ad veram prophetiam pertinent.) Ad Davidem hæc maxime et Salomonem spectare apparet, sed quæ in his offendebant, a reliquis etiam deinceps prophetis hominum horum animos abalienasse videntur. Omnino autem, si summam rei spectes, Esseni et Ebionitæ, quæ V. T. libris inesse videbant minus probanda, cum ea, quam animis conceperant de vera religione, et de Mose, sanctissimæ legis auctore, idea ita modo conciliare poterant, ut corruptæ religionis culpa in sequentium temporum homines caderet.

Hinc comparati cum Mose, unico illo propheta, seriores illi prophetæ, συνέσεως, ut ajebant, προφῆται erant, καὶ οὐκ ἀληθείας (Epiph. Hær. XXX, 18.), sive, ut Methodius retulit [29]), nonnisi ἐξ ἰδίας κινήσεως scripsisse putabantur. Ut vero, quæ in scriptis falsa et corrupta habebantur, aut summo legislatore minus digna videbantur, pristinæ integritati restituerentur, duplex iniri poterat via: aut prorsus rejicebantur, quæ a corruptoribus sacrarum literarum falsa veris mixta credebantur, aut allegoricæ interpretationis ope, quæ non satis pia et honesta scripti libri haberent, cum vera pietate conciliabantur. Priorem illam viam Ebionitæ, ex Epiphanio et Pseudo-Clemente nobis cogniti, eligebant, alteram hanc eandemque mitiorem Esseni et Therapeutæ Josephi et Philonis testimonio præferebant. Sed utraque hæc via ad unum eundemque finem tendebat, neque alia omnino ratione Esseni, et ipsi haud pauca Mosaicæ religionis instituta, veluti sacrificia, respuentes, legislatoris tamen auctoritatem tueri poterant. Quamquam igitur de V. T. prophetis mitius forsan tulerint judicium, quam post eos Ebionitæ, eandem certe viam ingressi serioris ævi prophetis eo minus tribuisse mihi videntur, quo impensioribus laudibus Mosen extollebant unicum prophetam.

De Deo ejusque natura Clementinæ Homiliæ multa docent, quæ ex communi Ebionitarum doctrina depromta esse, haud crediderim. At si summam modo rei teneamus, id certe inde mihi colligendum esse videtur, conceptam ab Ebionitis

29) Neander Gnost. Syst. p. 390.

divini numinis ideam Gnosticorum theologiæ multo similiorem fuisse, quam judaicæ V. T. libris innixæ de Deo doctrinæ. Miscetur in Homiliis his divinum numen cum rerum natura, Deusque non creator mundi est, sed ex divina natura, quæ summa omnis vitæ causa est, tamquam ex purissima luce, singula quæque emanarunt. Essenorum et Therapeutarum theologiam ad rerum maxime naturam pertinuisse, ex Philone et Josepho patet. Deum inprimis tamquam auctorem lucis colebant, radiisque solis, orbem terrarum illustrantibus, tenebrasque propellentibus verissimam referri cernebant summi patris imaginem. Hinc Josephus de Essenis De B. J. II. 8, 5.: *Πρός γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς· πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι.* Eadem fere de Therapeutis Philo refert [30]). Ut Homiliarum auctore XV, 7. *γυμνὸν ἑστᾶναι οὐκ ἐφίεται ἕνεκεν τοῦ παντὸς ἐρῶντος οὐρανοῦ,* ita Esseni oculos Dei lædere quam maxime verebantur iis omnibus, quæ ab hominum adspectu removeri verecundia jubet. Ios. l. l. §. 9. Si ex

---

30) De vita contempl. V. II. p. 475.: *Δὶς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν εἰώθασιν εὔχεσθαι, περὶ τὴν ἕω, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν, ἡλίου μὲν ἀνίσχοντος, εὐημερίαν αἰτούμενοι, τὴν ὄντως εὐημερίαν, φωτὸς τοῦ οὐρανίου τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἀναπλησθῆναι, δυομένου δὲ, ὑπὲρ τοῦ τὴν ψυχὴν, τοῦ τῶν αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν ὄγκου παντελῶς ἐπικουφισθεῖσαν, ἐν τῷ ἑαυτῆς συνεδρίῳ καὶ βουλευτηρίῳ γενομένην, ἀλήθειαν ἰχνηλατεῖν.* Cfr. p. 476. Hinc *τῆς τῶν ὄντων θέας* potituri *τὸν αἰσθητὸν ἥλιον ὑπερβαίνειν,* itaque ad intelligibilem solem pervenire dicebantur. L. l. p. 473.

his, quæ attulimus, suspicari liceat, præcipuo honore Essenos solem habuisse, inter sectas illas, quas tum invicem sibi, tum priscis Essenis simillimas esse diximus, Sampsæorum præcipua ratio habenda est. Nam Sampsæi, Ossenis et Ebionitis conjunctissimi, a sole nomen acceperant (ab hebræa voce שֶׁמֶשׁ). Σαμψαῖοι γὰρ, ut Epiphanius ait LIII, 2., ἑρμηνεύονται ἡλιακοί. Unde Epiphanius, more suo, varia hæreticorum genera serpentibus, viperis, aliisque hujus generis bestiis comparans, refutatis Sampsæis solarem lacertam Christi virga percussisse sibi videtur (ὡς οὖν σαῦραν ἡλιακὴν πεπαικότες ῥαβδῳ ἐλπίδος Χριστοῦ, καὶ τοῦ σταυροῦ, ἐπὶ τὰς ἑξῆς ἴωμεν). Denius bono patri hunc felicis ingenii lusum! Verbis ejus verius aliquid subesse putem, quam ipse auguratus fuerit. Lacerta enim græca voce σαῦρα dicta, ut animal hoc veteres singulari solis amore affectum putabant, ita revera a sole græcum nomen traxit. Σαῦρα enim, s. σαῦρος, ab sancritana voce saurya, surya, i. e. sol, descendere, res ipsa testatur. Eadem vox in nomine gentis Sauromatarum s. Sarmatarum nobis occurrit, qui non alia ex causa ita dicti sunt, quam quia solem colebant, quem olim aliæ quoque Europæ orientalis Asiæque adjacentis, et ad septentrionem vergentis gentes, veluti Massagetæ (Herod. I. fin.), pro Deo habebant. Ceterum hæc propterea monui, quia mihi Elxæi quoque et Elcesaitarum nomen ad eundem solis cultum referendum esse videtur. Epiphanii explicatio (ex hebraicis vocibus אֵל et חָסָה Deus occultus) conjecturæ speciem habet. Cum apud eas-

dem gentes, Getas, Massagetas, aliasque, quæ solem Dei instar colebant, maxima fuerit Samolxis veneratio, suspicari forsan liceat, hoc quoque nomen ejusdem, ceterum ignotæ, originis esse, vocemque hanc Elxai, Olxis [31]), antiquum aliquod numen denotare. Quæ ne aliena et ex longinquo nimis petita videantur, id solum adjicio, jam Josephum Essenos cum Polistis, sacerdotali quadam Dacorum gente, comparasse, qui æque ac Getæ Samolxin venerabantur, ejusque doctrina confisi animorum immortalitatem firmissima fide sperabant. Antiq. XVIII. 1, 5. [32]) Elxæum autem, a quo Sampsæi et Elcesaitæ originem duxisse dicuntur, certo quodam tempore sectæ auctorem fuisse, equidem non credo. Deum hoc nomine intelligere malim, quam prophetam, neque aliud ipsa Epiphanii explicatio innuere videtur. Ad christianam religionem Ebionitæ et Elcesaitæ ita referendi sunt, ut duo hæc nomina, Ebionis et Elxæi, duo ejusdem sectæ dogmata significent, connexa quidem, sed diversa tamen. Quæ ad Judaismum proprie pertinebant, ab Ebione repetebantur, quæ Gnosticorum magis indolem referebant, Elxæum auctorem habere putabantur. Ita Ebionem Elxæo opponit Epiphanius XXX, 17.

Quid de Christo senserint Ebionitæ, supra jam vidimus.

---

31) Nomen Sam-olxis similiter compositum ut e. c. aegyptiacum nomen Sem-phucrates. Sem (Semo) Sam antiquum Herculis i. e. solis nomen.

32) *Ζῶσι δὲ οὐδὲν παρηλλαγμένως, ἀλλ᾽ ὅτι μάλιστα ἐμφέροντες Δακῶν τοῖς Πολισταῖς λεγομένοις.* Cfr. de hoc loco Bellermann Geschichtl. Nachr. über Ess. u. Therap. Berlin. 1821. p, 66 sq.

Quæ vulgo statuisse dicuntur, Christum merum hominem fuisse, facile conciliari possunt cum iis, quæ de Christo iterum iterumque humanum corpus induente, Ebionitarum doctrinæ tribuuntur. Eandem hanc sententiam ab Elcesaitis ad Ebionitas transiisse Epiphanius, ut loco, quem modo memoravimus, ita quoque Hær. LIII, 1. affirmat. *Χριστὸν ὀνόματι ὁμολογοῦσι, κτίσμα αὐτὸν ἡγούμενοι καὶ ἀεί ποτε φαινόμενον, καὶ πρῶτον μὲν πεπλάσθαι αὐτὸν τὸ σῶμα τοῦ Ἀδάμ, καὶ πάλιν ἐνδύεσθαι, ὅτε βούλεται.* Hac quoque in re Ebionitarum dogmata cum Essenorum doctrina comparari possunt, si Christologiam ad angelologiam referimus. Angelos eximio honore habuisse veteres Essenos, Josephi testimonio constat, qui eos nomina angelorum tam sancta religione servasse ait, ut ea aliis, qui ex ipsorum secta non essent, prodere nefas haberent. De B. I. II. 8, 7. [33]) Ebionitarum autem doctrina Christum cum angelis ita conjunxit, ut primum inter eos locum obtineret Christus. Nam *ἄνωθεν ὄντα* confitebantur Christum, *πρὸ πάντων δὲ κτισθέντα, πνεῦμα ὄντα, καὶ ὑπὲρ ἀγγέλους ὄντα, πάντων τε κυριεύοντα.* — *Οὐ φάσκουσι δὲ ἐκ θεοῦ πατρὸς αὐτὸν γεγεννῆσθαι, ἀλλὰ ἐκτίσθαι, ὡς ἕνα τῶν ἀρχαγγέλων, μείζονα δὲ αὐτῶν ὄντα, αὐτὸν δὲ κυριεύειν τῶν ἀγγέλων, καὶ πάντων ὑπὸ τοῦ παντοκράτορος πεποιημένων.* Epiph. XXX, 3. 16. Hinc Tertullianus (De carne Chr. c. 14.) Ebionem constituisse ait Jesum, plane

---

33) In Clementinis quoque Homiliis III, 3. 6. *ἀγγέλων ὀνόματα γνωρίζειν* magni habetur.

prophetis gloriosiorem, ut ita in illo angelus fuisse dicatur [34]. Eodem quoque mihi pertinere videtur quorundam Judæorum opinio, quam Origenes Comment. in Joh. T. II. c. 25. refert, antiquissimos patriarchas angelos fuisse, humana forma indutos. In libro enim Hebræorum apocrypho, cui προσευχὴ Ἰωσὴφ nomen erat, Iacobus patriarcha dixisse ferebatur: Ἐγὼ Ἰακὼβ καὶ Ἰσραὴλ, ἄγγελος θεοῦ εἰμι ἐγὼ καὶ πνεῦμα ἀρχικὸν, καὶ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ προεκτίσθησαν πρὸ παντὸς ἔργου — κἀγὼ Ἰσραὴλ ἀρχάγγελος δυνάμεως κυρίου. Hoc idem fere est, quod in Clementinis Homiliis legimus, Christum Adamum esse, eundemque in patriarchis identidem apparuisse. Ut vero, quo nexu singula hæc cohæreant, melius perspiciamus, in Essenorum doctrina, quippe quæ maxime in rerum intelligibilium cognitione versaretur, angelos geniosque cœlestes plurimum momenti habuisse, bene tenendum est. Ut hominum animae cum angelis arctiori vinculo connexæ esse videbantur, ita Christus cum angelis hominumque animis intima necessitudine conjunctus erat. Animæ hominum eadem, qua angeli, divina origine profectæ sunt, quo inferiore autem loco positæ sunt, et quo minus naturæ suæ integritatem servarunt, eo magis necessarium fuit, divinæ originis memoriam revocari. Itaque Christus, idem ille spiritus divinus, qui a Deo creatus Adamus fuit, certis subinde temporibus humanam induit naturam, ut humanæ naturæ integritatem restitueret,

et

34) Cfr. Tüb. Zeitsch. für Theol. 1830. 1. H. S. 118 f.

et perfectissimum, ad Dei imaginem creatum, referret hominem. Ceterum varia de Christo statuebant somniabantque Ebionitæ. Clementinæ quidem Homiliæ simpliciter docent, Christum ipsum esse sanctum Dei spiritum. Epiphanii autem Ebionitæ, Elxæo auctore, Christum, fingebant, *εἶναί τι ἀνδροείκελον ἐκτύπωμα, ἀόρατον ἀνθρώποις — ἀντικρὺ δὲ αὐτοῦ ἐστάναι καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἐν εἴδει θηλείας, ἀοράτως* Hær. XXX, 17. Eodem prorsus modo Osseni Christo femineam spiritus sancti formam adjungebant. Epiph. Hær. XIX, 4. Nolumus his immorari commentis. Majoris momenti est, quod, ut apud Epiphanium Hær. XXX, 16. legimus, Ebionitæ *δύο τινὰς συνιστῶσιν ἐκ θεοῦ τεταγμένους, ἕνα μὲν τὸν Χριστὸν, ἕνα δὲ τὸν διάβολον, καὶ τὸν μὲν Χριστὸν λέγουσι τοῦ μέλλοντος αἰῶνος εἰληφέναι τὸν κλῆρον, τὸν δὲ διάβολον τοῦτον πεπιστεῦσθαι τὸν αἰῶνα, ἐκ προσταγῆς δῆθεν τοῦ παντοκράτορος, κατὰ αἴτησιν ἑκατέρων αὐτῶν.* Eundem hunc dualismum Clementinæ quoque Homiliæ profitentur [35]), latissime quidem patentem, sed ita tamen temperatum, ut primaria de uno Deo, summo rerum omnium parente et moderatore, doctrina nihil capiat detrimenti. Quid de mali origine docuerint Esseni, veterum auctorum hac de re silentio ignoramus, totam autem eorum de rebus divinis cogitandi rationem dualismi quandam speciem prætulisse, haud temere conjicias. Deo, sanctissimæ et purissimæ luci, opposuisse videntur tenebras, mali sedem et originem. Ut hominis mens luci cognata est, ita corpus materiæ mole ad tenebras trahitur. Hinc liberari

35) Conferas inprimis Hom. XV, 7.

ex corpore, tanquam ex carcere et longa servitute, sursumque in ætherem, unde huc venerunt animæ, tolli (Jos. De B. J. II. 8, 11.), tanto expetebant desiderio, ut quæcunque ad corporis curam, vitæque necessitates spectarent, ægerrime tantum, et tenebrarum quasi imperio noctique ingruenti cedentes susciperent. Pertinent huc, quæ de Therapeutis apud Philonem legimus (De vita contempl. V. II. p. 474): Σιτίον ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αυτῶν προσενέγκαιτο πρὸ ἡλίου δυσέως· ἐπειδὴ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους δὲ τὰς σωματικὰς ἀνάγκας. Ὅθεν τῷ μὲν ἡμέρας, τῷ δὲ βραχύ τι μέρος τῆς νυκτὸς ἔνειμαν. Alia, mox monenda, ejusdem generis sunt [36]).

Cum Ebionitæ Judæorum institutis pertinaciter inhæsisse, ut Irenæus ait (Contra hæret. I, 26.), in his consuetudinibus, quæ sunt secundum legem, et judaico charactere vitæ perseverasse vulgo dicantur, eo magis mirandum est, sancita Mosaica lege sacrificia adeo eos respuisse, ut hac ipsa re corruptam longo ex tempore, et tot tantisque erroribus mixtam religionem ad suam integritatem et sanctitatem revocasse sibi viderentur. Eam enim conceperant veræ religionis notionem, ut animalia mactare, eorumque carne vesci, nefas prorsus haberent. Ἐμψύχων — ἀπέχεσθαι καὶ κρεῶν — καὶ

---

36) Inter varias syzygiarum suarum formas Clem. Hom. dextra etiam et sinistra ponunt III, 16. Eodem spectare videtur memoratus a Josepho B. J. II. 8, 9. Essenorum mos: το πτύσαι εἰς μέσους, ἢ τὸ δεξιὸν μέρος φυλάσσονται. Dextra igitur pars pura, sinistra impura fuit.

πάσης ἄλλης ἐδωδῆς, τῆς ἀπὸ σαρκῶν πεποιημένης, λέγουσιν, ἐπειδήπερ καὶ αὐτὸς Ἐβίων καὶ Ἐβιωνῖται παντελῶς ἀπέχονται τούτων. Epiph. Hær. XXX, 15. Epiphanius, causam percunctatus, responsum tulit memoratu satis dignum: ὅταν ἐρωτήσῃς ἕνα τῶν αὐτῶν, τίνος ἕνεκεν ἐμψύχων οὐ μεταλαμβάνουσι, μὴ ἔχοντές τι διηγήσασθαι, ἀποκρίνονται ἀσυνέτως, καὶ λέγουσι διὰ τὸ ἐκ συνουσίας καὶ μίξεως σωμάτων εἶναι αὐτά, οὐ μεταλαμβάνομεν. Eandem ob causam Manichæi, animalibus abstinendum esse, præceperunt. Igitur, perinde ac Manichæi, Ebionitæ quoque omnem corpoream vitam impuram, et tenebrarum regno subjectam habuisse videntur. Cum vero Mosaicæ legis haud exigua pars ad victimarum immolationem pertineat, videmus jam, quibus potissimum rationibus ducti Ebionitæ Mosaicorum scriptorum fidem et integritatem negaverint, Christumque, verum prophetam, veræ legis restitutorem prædicaverint. Hinc, ut Epiphanius ait l. l. c. 16., τὸ παρ' αὐτοῖς εὐαγγέλιον περιέχει, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὰς θυσίας, καὶ ἐὰν μὴ παύσησθε τοῦ θύειν, οὐ παύσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ ὀργή. In eodem evangelio, ne celebratum a Jesu, mactato agno, Pascha opponi posset, ad verba apostolorum: ποῦ θέλεις ἑτοιμάσομέν σοι τὸ Πάσχα φαγεῖν, respondentis Christi verba ita immutarunt: μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα κρέας τοῦτο, τὸ Πάσχα, φαγεῖν μεθ' ὑμῶν. (Epiph. l. l. c. 22). Præterea apocryphis quibusdam Actibus Apostolorum utebantur, qui Jacobum adversus templum et sacrificia, ignemque, qui in altari erat, declamantem inducebant. Ebionitica hæc veræ religionis idea Clementinis quoque Homiliis expressa est,

quæ et ipsæ celebranda mactatis animalibus sacrificia inter perspicua corruptæ legis testimonia ponunt. Hom. III, 45.: *τὸ δὲ θυσιῶν αὐτὸν (θεὸν) μὴ ὀρεχθῆναι, φαίνεται ἐκ τοῦ τοὺς ἐπιθυμήσαντας κρεῶν, ἅμα τῷ γεύσασθαι, ἀναιρεθῆναι, καὶ χωσθέντας ἐπι τῷ τάφῳ βουνὸν ἐπιθυμιῶν προσαγορευθῆναι. Ὁ δὲ τὴν ἀρχὴν ἐπὶ θύσει ζώων χαλεπαίνων, θύεσθαι αὐτὰ μὴ θέλων, θυσίας ὡς ἐπιθυμῶν οὐ προσέτασσεν, καὶ ἀπ' ἀρχῆς οὐκ ἀπήτει. ἄνευ γὰρ θύσεως ζώων, οὔτε θυσίαι τελοῦνται, οὔτ' αἱ ἀπαρχαὶ δοθῆναι δύνανται* [37]). Unde vero traditum hoc ad Ebionitas pervenerit præceptum, quærentes obvios primum habemus apud Epiphanium Nasaræos illos, qui quamquam omnia Judæorum instituta servarent, tamen *θυσίαν οὐκ ἔθυον, οὔτε ἐμψύχων μετεῖχον, ἀλλὰ ἀθέμιτον ἦν παρ' αὐτοῖς τὸ κρεῶν μεταλαμβάνειν, ἢ θυσιάζειν αὐτούς· ἔφασκον γὰρ πεπλάσθαι ταῦτα τὰ βιβλία (τὴν Πεντάτευχον), καὶ μηδὲν τούτων ὑπὸ τῶν πατέρων γεγενῆσθαι.* Cum Nasaræis autem, quibus etiam Osseni addi possunt, *τὴν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις σαρκοφαγίαν καὶ τὰ ἄλλα καὶ τὸ θυσιαστήριον τό τε πῦρ, ὡσεὶ θεοῦ ἀλλότριον,* damnantes, Epiph. Hær. XIX, 3., plane consentiebant Esseni, quos nullas obtulisse victimas Josephus et Philo testantur. Josephus Antiq. XVIII. 1, 5.: *Εἰς τὸ ἱερὸν ἀναθήματά τε στέλλοντες θυσίας οὐκ ἐπιτελοῦσι, διαφορότητι ἁγνειῶν, ἃς νομίζοιεν, καὶ δι' αὐτὸ εἰργόμενοι τοῦ κοινοῦ τεμενίσματος, ἐφ' αὐτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι.* Quid hæc sibi verba velint, Philo interpretatur, cujus

37) Confr. Hom. VII, 15., ubi *ἡ τῶν ζώων βορὰ παρὰ φύσιν* esse dicitur.

sententia Esseni a sanctitate dicti sunt (παρώνυμοι ὁσιότητος λέγονται), ἐπειδὴ κἀν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασιν, οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες (Quod liber sit, quisquis virtuti studet. V. II. p. 457.). Si quid aliud, hoc certe arctiori aliquo cum Essenis junctos fuisse vinculo Ebionitas, ostendere mihi videtur. Quid enim aliud a publicis Judæorum sacris apertius abhorrebat, quid scriptæ legis auctoritati minus conveniebat?

Dissimiles hac in re ceteris Judæis Ebionitæ eo similiores iis erant, observandis aliis judaica lege sancitis ritibus. Acceperant enim ab Ebione, ut Epiph. dicit l. l. c. 17.: τὴν περιτομὴν καὶ τὸ σαββατὸν, καὶ τὰ ἔθη (i. e. πάντα, ὅσαπερ παρὰ Ἰουδαίοις καὶ Σαμαρείταις ἐπιτελεῖται c. 2). Quanti fecerint ritum circumcisionis, et qua freti auctoritate eam commendaverint, ex Epiph. c. 26. videmus: αὐχοῦσι περιτομὴν ἔχοντες, καὶ σεμνύονται, δῆθεν εἶναι ταύτην σφραγῖδα ἡγούμενοι καὶ χαρακτῆρα τῶν τε πατριαρχῶν καὶ δικαίων, τῶν κατὰ τὸν νόμον πεπολιτευμένων, δι' οὗ ἐξισοῦσθαι ἐκείνοις νομίζουσι, καὶ δῆτα ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ τὴν σύστασιν ταύτης βούλονται φέρειν, ὡς καὶ οἱ περὶ Κήρινθον, — φασὶ γὰρ καὶ οὗτοι κατὰ τῶν ἐκείνων λῃρώδη λόγον, ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, εἶναι ὡς ὁ διδάσκαλος· περιετμήθη γὰρ, φησὶν, ὁ Χριστὸς, καὶ σὺ περιτμήθητι. Apud Pseudo-Clementem de sabbati sanctitate nihil, de ritu circumcisionis nihil certe distinctius [38]) reperimus, qua de re non est, quod miremur,

38) Non omittendus est locus in Contestatione pro iis, qui librum

cum, ut alia taceam, multa utique liber hic singularis habeat, quæ vulgo ab Ebionitis recepta fuisse, credere vix licet, quæque ad liberiorem christianismi indolem propius accedunt. Utraque autem hæc judaicæ legis instituta apud eosdem illos Nasaræos, qui, damnato sacrificiorum usu, a magna Judæorum multitudine æque abhorrebant, ac cum Ebionitis consentiebant, in magna sanctitate erant. *Τὰ πάντα ἰουδαΐζει (ἡ αἵρεσις τῶν Νασαραίων) — περιτομὴν γὰρ ἐκέκτητο, σάββατον ἐφύλαττεν.* Epiph. Hær. XVIII, 1. Cfr. de Ossenis Hær. XIX, 5. Quod ad ipsos Essenos attinet, eos sabbatum certe religiosissime observasse, satis constat. *Ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι, διαφορώτατα Ἰουδαίων πάντων φυλάσσονται.* Porphyrius, qui in libro de abstinentia ab esu animalium, facta quoque Essenorum mentione, quæ dicta de iis a Josepho sunt, excerpsit, aliqua tamen inseruit, quæ in nostris quidem Josephi libris non legimus, de sabbato eorum L. IV. c. 11. hæc habet: *Τοσαύτη δὲ μέν ἐστιν αὐτῶν ἡ λιτότης, ἡ περὶ τὴν δίαιταν, καὶ ὀλιγότης, ὡς τῇ ἑβδομάδι μὴ δεῖσθαι κενώσεως, ἣν τηρεῖν εἰώθασιν εἰς τοὺς ὕμνους τῷ θεῷ, καὶ εἰς ἀνάπαυσιν.* De Therapeutis Philo De vita contempl. V. II. p. 477. hæc tradidit: *Τὴν ἑβδόμην πανιερόν τινα καὶ πανέορτον νομίζοντες εἶναι, ἐξαιρέτου γέρως ἠξιώκασιν, ἐν ᾗ μετὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν λιπαίνουσιν, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὰ θρέμματα τῶν συνεχῶν πόνων ἀνιέντες.* Septimo quoque die ex monasteriis, in quibus solitariam vitam age-

---

accipiunt Ed. Cot. p. 609. 1., in quo missos a Petro libros communicandos esse nonnisi cum viro *ἐμπεριτόμῳ ὄντι πιστῷ*, mandatur.

bant, in communi semneo conveniebant (l. l. p 476). Circumcisionis etiam ritum apud Essenos, quamquam Philo et Josephus hac de taceant, in usu fuisse, probabile est. Judaici enim generis erant, ritusque hic præcipua sanctitatis nota esse videbatur. Præterea ab aliis quoque, vulgarem Judaismum spernentibus, Samaritanis certe, duo hæc instituta, pari sanctitate habebantur. Scilicet, quicunque ex hoc hominum genere erant, Ebionitæ, Esseni, aliique iis similes, quo magis vulgarem Judaismum aspernabantur, eo magis certa quædam antiquitus tradita instituta tenebant. Tempora distinguenda esse rati, depravato illi seriore ævo sacrorum statui antiquissimam et integerrimam religionis formam, prophetis patriarchas, opponebant, et ab illis quidem impura sacrificia, aliaque hujusmodi, ab his vero sanctissimas illas primæ hominum ætatis ceremonias repetebant. Neque alia propior Ebionitarum in Paulum apostolum odii causa extitit, quam quod antiquissimam illam patriarcharum legem sustulisse putabatur. Tarsensem eum fuisse arguebant, gentilibus parentibus natum, ducendæ uxoris causa, filiæ pontificis Hierosolymitani, proselytum factum, circumcisionem usurpasse, conjugii autem spe frustratum contra circumcisionem, sabbatum, legemque scripsisse. Epiph. l. c. c. 16.

Qui asceticum vitæ genus sectabantur, plerumque non animalium solum carne, sed matrimonio etiam abstinendum esse, censebant. Ebionitæ matrimonio quidem utebantur, sed ita tamen, ut, quid de eo senserint, nos non lateat. Olim

enim, ut Epiphanius ait l. l. c. 2. παρθενίαν ἐσεμνύοντο δῆθεν διὰ τὸν Ἰάκωβον, τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου — τὰ νῦν δὲ ἀπηγόρευται παρ' αὐτοῖς παρθενία τε καὶ ἐγκράτεια. Ad præmaturas adeo nuptias magistrorum jussu impellebantur adolescentes c. 18. Eadem fere de matrimonio Clementinæ Homiliæ præcipiunt. Hom. III, 68. cfr. Epist. Clem. ad Jacob. c. 7. Cum enim, si idololatriam excipias, nullum maius humanum genus pervaserit malum, quam impudicitia, ineundis mature matrimoniis præcavendum est a peccandi materia. (μήπως τὸ τῆς μοιχείας λανθανόντως ἀναφθῇ πῦρ· πολὺ γὰρ δεινὸν ἡ μοιχεία, τοσοῦτον ὅσον τὰ δευτερεῖα ἔχειν αὐτὴν τῆς κολάσεως, ἐπεὶ τὰ πρωτεῖα τοῖς ἐν πλάνῃ οὖσιν ἀποδίδοται. Ep. Clem. l l.) Sua igitur matrimonio sanctitas quidem est, sed eo unice spectat, ut imminentis mali remedium sit. Quam de matrimonio sententiam proximam esse illi, quæ nonnisi in castitate, matrimonii etiam experte, omnem sanctitatis laudem positam esse jubet, in promtu est. Non alia apud Essenos conjugalis vitæ æstimatio fuit, quam æque contemnebant, æque admittebant. Nam ut Josephus tradidit (De B. J. II. 8, 2.): γάμου ὑπεροψία παρ' αὐτοῖς — τὸν μὲν γάμον, καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ διαδοχὴν οὐκ ἀναιροῦντες, τὰς δὲ τῶν γυναικῶν ἀσελγείας φυλασσόμενοι, καὶ μηδεμίαν τηρεῖν πεπεισμένοι τὴν πρὸς ἕνα πίστιν [39]). (Cfr. Ant. XVIII. 1, 5. οὐ

39) Admonent haec nos Pseudo-Clementis doctrinae, feminam alteram συζυγίας partem, causam malorum esse. Ἡ θήλεια ὅλη πλάνη. Hom. III, 27.

οὐ γαμετὰς εἰσάγονται. Plin. H. N. V, 16.)[40]) At erat, ut Josephus l. l. §. 13. addit, καὶ ἕτερον Ἐσσηνῶν τάγμα, ὃ δίαιταν μὲν καὶ ἔθη, καὶ νόμιμα τοῖς ἄλλοις ὁμοφρονοῦν, διεστὸς δὲ τῇ κατὰ γάμον δόξῃ. Μέγιστον γὰρ ἀποκόπτειν οἴονται τοῦ βίου μέρος, τὴν διαδοχὴν, τοὺς μὴ γαμοῦντας, μᾶλλον δὲ, εἰ πάντες τὸ αὐτὸ φρονήσειαν, ἐκλιπεῖν ἅπαν τὸ γένος τάχιστα. Transitum hæc faciunt ad seriorem Ebionitarum morem, nuptias maturandi, ne quid publica salus detrimenti capiat.

Omnino Ebionitis vitæ castitas et sanctimonia maximæ curæ fuit. Cujus rei causa tum aliis multis ritibus utebantur, tum quotidie fluente aqua corpus abluebant. Cfr. Epiph. l. l. c. 2. 15. 16. Clem. Hom. XI, 1. 22. 28. 30. 33. aliisque locis. Tantam adeo aquæ lustrandi vim tribuerunt, ut eam, si Epiphanio fides habenda est, Dei instar colerent. Epiph. Indic. p. 53. c. 10.: Τὸ ὕδωρ ἀντὶ θεοῦ ἔχουσι. Saluberrimum certe et purissimum in rerum natura elementum iis esse videbatur, unde Clementinæ Homiliæ, lege syzygiarum contraria contrariis jungentes, divinæ aquæ ignem, dæmonum naturam, opposuerunt. Hom. XI. 24. IX, 9 — 11. (ἡ ψυχὴ, τῇ πρὸς θεὸν πίστει ὡς εἰς ὕδατος φύσιν τραπεῖσα, τὸν δαίμονα, ὡς σπινθῆρα πυ-

40) Egregie Plinius l. l. de Essenis: „Gens sola, et in toto orbe praeter ceteras mira, sine ulla femina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex aequo convenarum turba renascitur, large frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunae fluctus agitat. Ita per seculorum millia, incredibile dictu, gens aeterna est, in qua nemo nascitur. Tam fecunda illis aliorum vitae poenitentia est!"

ρὸς ἀποσβέννυσιν). Essenos quotidie frigida aqua corpus abluisse, Josephus narrat De B. J. II. 8, 5., et sine dubio propter hunc quotidiani baptismi morem Esseni ipsi Hemerobaptistarum quoque nomine appellati sunt [41]). Osseni, eodem numero habendi, ab Elxæo edocti sunt, τὸ ὕδωρ εἶναι δεξιόν, πῦρ δὲ ἀλλότριον εἶναι. Epiph. Hær. XIX, 3. Quantam autem sanctificandi vim aquæ inesse crediderint Esseni, inde apparet, quod ii, qui ad interiora societatis accessuri erant, καθαρωτάτων τῶν πρὸς ἁγνείαν ὑδάτων participes fiebant Jos. l. l. §. 7. Ob præcipuam hanc aquæ venerationem in marium maxime vicinitate sedes suas elegisse videntur. — In tanto castitatis studio tum Ebionitas, tum Essenos exteris misceri nefas duxisse, mirandum non est. Epiph. XXX, 2. Clem. Hom. XIII, 4. Ut Ebionitis τραπέζης ἐθνῶν ἀπολαύειν non licuit, διὰ τὸ ἀκαθάρτως αὐτοὺς βιοῦν (Hom. l. l.), ita Esseni sacramento obstricti erant, nullum ab aliis cibum accipere. Jos. l. l. §. 8. Ad dualismum illum, quo Esseni et Ebionitæ tum in rerum natura, tum in hominum societate alterum alteri ex adverso oppositum putabant, hæc quoque spectare videntur.

Sunt præterea alia quædam ad mores vitamque, pie honesteque agendam, pertinentia, quæ ad comparationem nostram momenti aliquantum habent. Clementinæ inprimis Homiliæ multa præcipiunt, quæ ex sanctiore Essenorum disciplina hausta esse, res ipsa docet. Referunt præcepta illa

41) Quod alias saepissime, in haereticorum quoque historia accidit, ut ex variis ejusdem sectae nominibus novae factae sint sectae.

pietatem in Deum, cujus studiosissimi erant Esseni, eorum humanitatem, justitiam, temperantiam, ceterasque virtutes, quarum laude a veteribus celebrantur. Inter singula præcepta nullum fere aliud insignius fuit, quam quod in servanda fide colendaque veritate apud utrosque cernebatur. Ne fidei sanctitas violari videretur, jurejurando uti, apud Essenos interdictum erat, Jos. B. J. II. 8, 6., et Clementinæ Homiliæ recipiendos in societatem ad jusjurandum adigi nolunt, quoniam non liceat (μὴ ὀρκίσαι, ἐπεὶ μὴ ἔξεστιν. Contest. p 609. 1.) Memores simul nos hæc faciunt institutorum, quæ Essenorum societati propria erant, eoque maxime spectabant, ut arcana ejus, paucis modo, electisque credita, reliquis nondum satis comprobatis tacerentur. Jos. l. l. §. 7. 10. Clementinæ enim etiam Homiliæ ab exoterica disciplina esotericam distinguunt, nullique sacros, quos Petrus scripsisse et Jacobo misisse ferebatur, libros credi jubent, nisi qui per sex annos fuerit comprobatus. Contest. l. l. [42])

Denique, quod ad ultima hujus rerum ordinis, futuramque hominum conditionem attinet, ea utique harum rerum imago, qualem Ebionitas sibi informasse, supra jam vidimus, Essenorum sentiendi rationi parum convenit. At non eadem omnibus hac de re sententia fuisse videtur, et in Clementinis quidem Homiliis nihil inesse videmus, quod ad sensuum voluptates spectet. Momenti alicujus esse arbitror hæc fere tria: 1. Ipsi etiam Esseni futuram vitam requiem (ἀνάπαυσιν Hom. III, 20. 26. cfr. Epiph. Hær. XXX, 4.) laborum, ærumnarum malorumque omnium, inter quæ transigenda est hæc vita, esse volebant. Jos. l. l. §. 11. 2. Septenarium numerum cum sanctissimum habuerint, credere licet, ab iis quoque

---

42) Cum solenni in recipiendis panis salisque usu (Contest. 4.) conferenda sunt, quae de Therapeutis Philo De vita cont. V. II. p. 484. tradidit.

ad ejus normam hunc futurumque rerum ordinem definitum esse. 3. Ut Ebionitæ coelestem Hierosolymam exspectabant (unde, ut Irenæus ait l. 2., Hierosolymam adorabant, quasi domus sit Dei), ita Esseni quoque futuram felicitatem sanctae hujus urbis imagine cogitasse videntur. Quamquam enim sacra, quæ in templo fieri solebant, rejicerent, donaria tamen in urbem mittebant (Jos. Ant. XVIII. 1, 4.), et Osseni, Hierosolymam versus inter orandum undequaque prospicere, ab Elxæo jussi sunt. Epiph. l. l. 3. Igitur iis quoque, ut Ebionitis, adoranda Dei domus esse videbatur, sive sperata urbs, ad cujus portum tendere debeat vitæ hujus navigatio (Ep. Clem. ad Iac. 14), urbs in excelso ædificata, ecclesiæ, bene ordinatæ, speciem referens, Hom. III, 67., magni regis (Epiph. l. c. 3.) sedes.

Superest, ut festorum, qui instant, dierum, quorum causa scripta hæc sunt, admoneamus Vos, Cives Optimi! Celebremus hos dies eo animi sensu, quo oriunda ex Christo pietas imbuit! Pias Deo agamus gratias, qui Christum nobis donavit, morte superiorem, piaque hac maxime tempestate faciamus vota, ut ipse ille, veritatis veræque libertatis vindex integerrimus, vitâque ex morte resumtâ, novi rerum ordinis conditor unicus, ubique locorum stabiliat, suoque numine juvet regatque, quæ, in tot tantisque hominum desideriis et studiis, non vana imagine animos ludunt, sed ex veritate profecta ad veritatem tendunt, veramque spectant humani generis, et civitatis, Deo sacræ, salutem!

P. P. Sub sigillo facultatis nostræ evangelico-theologicæ d. 2. Apr. MDCCCXXXI.